



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Qvarta. De Iesv Christo Duce nostro sequendo, & quid in nobis
efficere debeat recordatio nominis nostri Societatis Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

ORATIO QVARTA.

*De IESV CHRISTO Duce nostro sequendo, & quid in nobis
efficere debeat recordatio nominis nostri Societatis IESV.*

QVÀ Dei prouidentiam contigisse dicam, Ignati, vt Societatis à re condita sanctissimam appellationem vniuersæ ceteroqui Reipublicæ Christianæ salutarem ac communem, vni tibi tuisque asseclatoribus propriam esse volueris atque militarem? neque enim te virum cum in omni tuâ actione prudentem & circumspectum, tum diuinâ luce præ multis illustratum, fas est existimare, in re tanti momenti quidquam sine ratione, consilio, auctoritate statuere voluisse; præsertim cum & suauissimum Pacificatoris IESV nomen, & militiæ interim, quam sub eodem lati alacresque profitemur, Religio, tam apta inter se ac colligata, tamque firmo ac reciprocante nexu coniuncta copulataque existant, vt, quoniam Imperatoris sui nomine insignita est, nec Societatem IESV sine eius Duce concipere, nec Ducem eius IESVM sine Societatis inscriptione recordari facile possimus. Quid enim? an non, cum primum IESV nomen Assertori salutis nostræ fuit impositum, aurea sæculorum omnium pax, nobiliore fœderis arcu, in carne eius sancta & cum Deo confirmata est? an non, cum vagè dispersa, in eandem eum Iudæis Ecclesiam coalescere cœpit Gentilitas, non iam amplius Synagoga, sed Societas IESV Filij Dei cœpta est nuncupari? Quo igitur vel auctore tranquillissimum pacis nomen ad militaris sagi tumultus transferre, vel assertore eminentissimæ dignitatis titulum vni à te instituto Ordini ausus es vindicare? Equidem sic arbitror, Auditores, id non nisi magnæ illius Prouidentia cuncta moderantis ductu iudicioque factum esse (eo præsertim Ecclesiæ statu ac tempore, quo latebris suis Orcique tenebris emersa recens hæresis, sacrilegas perfidiæ faces toto Septentrione longè lateque circumferebat) vt & signum illud belli, pacificum aliàs ac lene, contra perduelles ad infringendam illorum audaciam Ductor nouus extolleret; & legiones suas aduersus immanem illam furiam teterrimamque pestem, quæ iam palam & armata volitabat, in campum aciemque prodituras, non suo Ignati, aut cuiuspiam è mortaliū genere Imperatoris, sed Societatis IESV titulo condecoraret. Nisi enim ex obiectâ diuinitus CHRISTI crucem humero gestantis specie (cui iam tum ab æterno Patre, quam designauerat animo, militia commendabatur) certò didicisset, ita fixum nimirum ratumque diuinâ lege esse, vt istiusmodi auspiciis noua castra metaretur; nequiquam sanè, quæ erat modestiâ & submissione, augustissimam communis Ecclesiæ nuncupationem aut sibi suisque vindicasset, aut ad erecti à se vexilli religionem sacramentumque traduxisset. Tum enim verò non moueri se, sed impelli; non excitari, sed inflammari; non duci, sed cogi quodammodò occultâ vi imperioque sensit, ad perpetuum atque implacabile bellum vno hoc copiarum suarum Duce atque auctore nefariis diuinæ gloriæ proditoribus inferendum: vt iam minimè

Q mirum

mirum videri vobis debeat, Auditores, si hodiernâ die studium omne meum cogitationemque ad hoc argumentum paulò latius explicandum conuerterem, quo perspectum vobis penitus probatumque sit, omnem vitæ nostræ rationem in hoc sitam esse oportere, vt præclarissimorum facinorum imitatione fortissimi Ducis nostri IESV CHRISTI, à cuius Societate nomenclaturam accepimus, vestigiis pressè insistere firmiterque possimus.

Dux IESVS
sequendus
ab omnibus:

Isa. 55. 4.

Fuit quidem hæcætenus semper, atque etiamnum est, æterni Dei firma immobilisque voluntas, ex abdito rationis increatæ consilio profecta, vt quotquot imaginem Filij sui nobilissimæ Mentis à se procreatæ similitudine repræsentarent, eundem & veritatis testem, & militiæ ducem, & disciplinarum omnium magistrum sequerentur. Quorsum enim spectat illa vaticinantis Isaïæ vox: *Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus?* Inter tot opinionum, quæ mentibus nostris de rebus diuinis obijciebantur, varietates fluctuabamus incerti cui potissimum sententiæ præberemus assensum. quis consilio adeset dubitantibus? quis mobiles nutantesque firmaret? quis de obscurâ veritate certos, de perplexis quæstionibus expeditos, de mysticis supra sensum omnem cogitationemque positus redderet securos? Tenebamur profundissimâ quâdam ignoratione rerum omnium, quæ quidem ad consequendam salutem vtilis ac necessaria sunt. quis rudes atque imperitos vitæ melioris præceptis imbueret? quis ignaros religionis excolleret? quis tot inter commentitias Deorum Gentilium formas veræ diuinitatis naturam, cultum, carimonias edoceret? Post oblatum principio naturæ nostræ vitium ac corruptelam, grauissimis eramus erroribus irretiti. quis labyrinthos explicaret? quis expediret anfractus? quis finis euolueret? quis viarum itinerumque, quæ ad æternam salutem tendunt, ignaros per angustas & perplexas vitæ semitas duceret? Rempublicam habebamus iam inde à primis incunabulis veriore fato quàm Cadmea olim progenies, mundi militiæ deuotam. quis haberet delectus? quis armis instrueret? quis ad pugnam exerceret? quis è castris in aciem educeret? quis signa præcederet? quem Imperatorem milites sequeremur? *Homo*, ait ille, *sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat.* Quid istuc rei est, Auditores? numquid perturbati animo? numquid perculsi? numquid conterriti estis? O miseros nos hac lege, planeque perditos, nisi consilium à Misericordiâ supra fidem omnem rationemque humanam diuina Bonitas ac Sapientia excogitarit? Bellum nobis cum infestissimo hoste gerendum est; tirones cum veteranis, imbelles cum fortibus, rudes atque ignari cum vaftris exercitatisque committendi sumus. Habent illi, quem sequantur, antesignanum Luciferum, tam viribus potentem quàm victoriis clarum; nos contra nudi atque inermes, ratione, consilio, præfidiis omnibus destituti, quem iniuriarum depulsorem? quem defensorum vitæ? quem salutis vindicem? quem militiæ nostræ principem auctoremque instituemus? Hominemne quempiam ex Adami stirpe procreatum? at omnes illi iam victi prostratique iugum illius crudelissimum ignominiosissimumque patiebantur. An aliquem ex cælestibus

S. August.
Serm. de
Nat. Dom.
cit. à sancto
Thomâ
3. part. q. 1.
art. 20.

non hominum
aut Angelorum:

bus spiritibus? hi verò etsi & naturæ viribus pares, & gratiæ præsidio fortiores, & assiduitate vincendi ac gloriâ celebriores essent; quo modo, cum humanis obtutibus corporum expertes obijci non possent, signa nostra anteirent? quo modo in hostem ducerent? quo modo laborum, periculorum, vulnerum, mortis denique contemnendæ exemplo timidos nos segnesque excitarent ipsi naturæ sublimioris atque immortalis beneficio securi? Deumne ipsum sapientiâ & potestate infinitum? ita quidem oracula diuina pronuntiabant: *Dominum Deum vestrum sequimini, & audite vocem eius.* Enimuerò cum haud minus ipse quam Angeli à corporum naturæque humanæ concretionem longè esset remotissimus, quâ se ratione spectandum oculis nostris offerret? quo modo æstus, frigus, inedia, egestatem rerum omnium, ærumnasque militaris instituti proprias, nullius ipse egens toleraret? Hic nimirum misericordiâ nobis & commiseratione opus est, ne funditus intereamus. Inuenit medium suprema Bonitas, quo sociatâ vtriusque naturæ communionem, atque in vnâ personam coagmentatâ, ante oculos atque ora nostra mortalem carnem conditionemque indutus versaretur Deus. Quid igitur? *Vt exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Præclare profectò atque sapienter! nam si rem ipsam attentius inspicere, suisque, vt quidem fieri par est, momentis expendere velimus, nonne hic (quod secundum Augustinum Angelicus quoque Doctor annotauit) eminentissimus inter alios finis est, ob quem Dei Filius humanæ naturæ copulatus est? nempe vt earundem, quibus obnoxia illa est, miseriarum communicatione, tantò efficaciore ad sequendum se stimulo perurgeret, quantò constaret ipso vsu experientiâque certiùs, nullius ærumnæ periculique præterquam vnus peccati immunem esse voluisse? Nonne idcirco & inedia vexari, & siti confici, & exhauriri laboribus, & violari contumeliâ, & cruciari vulneribus, & morte denique acerbissimâ extingui voluit, vt ad eandem belli periculorumque societatem vocatos esse nos recordaremur?

Sed nimirum certandi hæc pro salute nostrâ atque Ecclesiæ incolu-
mitate Ducis exemplo atque imitatione necessitas, communis bonis
omnibus, nescio quonam pacto Ordini nostro propria, maius aliquod
studium à nobis maioremque contentionem in hoc laudis genere re-
quirit. tamen enim dignitas nominis, quo insigniti sumus, æqualiter
concessa sit omnibus; ipsa tamen appellatio, postquam diuini instinctu
Numinis sigillatim adhibita nobis est, angustioribus terminis cœpta
definiti, itaque circumscribi visa est, vt, cum eius ratio ad omnes, vsus
tamen officiumque pro Ecclesiâ dimicandi ad Religiosos Societatis
nostræ viros, præcipuo ac peculiari quodam Romani Pontificis indul-
to, pertinere videatur. Ignorare certè potest nemo, quod nos experiri
etiam quotidiano sensu gloriamur, neminem ferè grauissimis hisce tem-
poribus Fidei Religionique bellum indixisse, qui non vnâ inimici-
tias nobiscum immortales sibi duxerit esse suscipiendas. Non minùs
de Societate quàm de Paulo dictum arbitrere: *Ego enim ostendam illi,*
quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Deus bone! quot impetiti calum-
niis?

niis? quot laceſſiti iniuriis? quot libellis vexati? quot lacerati linguis? quot ſtylis confixi ſumus? in conuiujs rodunt, in circulis vellicant, ludificantur domi, calumniantur foris; palàm inuido, clàm maledico dente carpunt; prosperis rebus noſtris dolent, aduerſis lætantur, ruinis exultant. Quidquid vſpiciam deprauatarum doctrinarum in lucem typis extruditur, quidquid in rebus fidei peruerſum iuxtà ac controuerſum diſputatur in ſcholis, quidquid voce publicâ declamatur in ſuggeſtis; id omne contumelijs & conuitijs aduerſus Societatem conſperſum eſt; velut aut inſicetum futurum ſit omne mendacium, quod non hoc ſale fuerit conditum, aut ſine ratione ac fundamento aſertum, quod ab his contra nos obtreſtationibus pondus aſſenſionemque ſuam non acceperit. Omnium certè inimicorum fidei tela ſic in nos contorquentur, quaſi ſanctitatis ac Religionis Catholicæ integritas in noſtrâ vniuersi Ordinis incolumitate ſita ſit: quo velut robore quodam publicæ ſalutis conuulſo atque labefactato (vt illi quidem ratiocinantur) mox ipſa fides, pietas, caritatis, cultusque priſtinus, euelli penitus atque extirpari nullo negotio poſſe videantur. Sed hoc quidem beneficium interpretamur, cum, vt dixi, in laude ponamus, improbis diſplicuiſſe. Interim alienatione iſtâ veſtrâ vtimur, hæretici, contra impias & nefarias molitiones quibus veritatem impugnatis; tantoque maiore impetu aſurgimus in deſenſionem omnium, quanto magis vni impetitur: ad maledicta & probra, quæ ore ſpurco in nos ingeritis, tardi, imò ſegnes; ad iniurias verò ab Eccleſiâ propulſandas prompti, alacres, expediti. Quo in certamine, vt & in rationibus vitæ noſtræ Inſtituti que vniuerſis, id & præ oculis habemus, & præ nobis ferimus, ne quid diuerſum, nedum pugnant aut alienum ab exemplo Ducis noſtri feciſſe videamur. Siquidem vnum hoc certum nobis perſuaſumque eſt, vt à Deo ad *Societatem filij eius* vocati, huic dumtaxat mereamus, huius tantummodo ſigna proſequamur, hunc vnum in otio ac puluere, domi militiæque, certiffimum omnis virtutis & ſanctitatis exemplar imitemur. Hæc & vocationis noſtræ finis, & appellatiōis cauſa, & perfectionis denique ſumma eſt: cui quemadmodum à maioribus noſtris ſatiſfactum ſit, ſi honorifficentiſſimo Pij IV. teſtimonio comprobare voluero, neſcio proſectò, ampliorèſne inuidiæ inimicitias timere ab obtreſtatoribus, quàm imitationis fructum à nobis ipſis ſperare debeamus. Augebat ille minimam hanc Societatem cum fauore ſuo, tum ornamentis atque immunitatibus innumeris: quæ ne temerè aut fortuito in indignos, ſed benè de Republicâ Chriſtianâ meritos, congeſſiſſe videretur, beneuolentiæ rationem ſuæ orbi Catholico verbis hiſce teſtatam eſſe voluit: *Qui ſicut nomen Sociorum IESV aſſumpſerunt; ita opere, doctrinâ & exemplis Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM imitari & eius veſtigia ſequi nituntur.* Quidquàmne dici potuit aut ad explicandam nomenclationis noſtræ intelligentiam manifeſtius? aut ad retundendam hoſtium calumniam potentius? aut ad Ordinis noſtri laudem ſplendoremque amplificandum glorioſius? aut ad æmulationem imitationemque CHRISTI in animis noſtris excitandam vehementius? Vellem equidem, maledici iſti calumniatores, cum publicis declamationibus

1. Corint. 1.

Bullarium
Societat.
pag. 74.Vellicant
maledici:

tionibus & scriptis, famamne dicam an popularem auram, ex nominis nostri vellicatione aucupantur, dimissâ tantisper calumniandi libidine, assumptâque ratione tam hoc ad se referant, sibi que dictum existiment, quàm & audiunt & intelligunt, summo Dei in terris Vicario placuisse. Quid enim? licuit per Apostolicam Sedem Francis duobus eximiam sanctitate viris, vni Minorum, Minimorum alteri, nomen, ad imprimendam altius affectatorum suorum animis submissionis virtutem, velut proprium vsurpare, quò firmius sibi persuaderent, tantò ipsos modestiores in omni vitâ esse oportere, quantò suâ ipsi compellatione convinci possent manifestius moribus suis officioque defuisse, nisi se minores, minimosque omnium exhibuissent. Licuit præcellentibus Magnæ Matris cultoribus, eiusdem Pontificis auctoritate, Seruitis vocari; vt nifivocabulum externamque mentiri speciem aliud agendo vellent, Marianæ seruitutis tam nobilis; tamque liberæ, numquam immemores essent. Licuit eodem iure Sanctimonialibus quibusdam, non Matrum aut Sororum, quo ferè reliquæ notantur, sed Angelicarum titulum sibi vindicare; vt beatarum mentium nitorem atque castimoniam æmulandam sibi esse repetitis identidem appellationibus commonerentur: Ignatio Sociisque eius vitio vertetur, si ex nomine diuinitus Ordini suo concesso arctiore quodam vinculo obligari se fateantur, ad Ducis sui IESV, cuius esse se socios numquam non volunt meminisse, vestigia pressius constantiusque prosequenda? At Societatis IESV nomen commune est Christianis omnibus. Rectè equidem. Et sociis IESV vocari licet cunctis qui *in nomine Domini* IESV salutaribus aquis abluti sunt. Bellè profectò. Et eiusdem Societatis dignatione ad sequendum IESVM prouocari nos excitarique manifestum est. Enimuerò sapienter. Verùm & Minorum & Minimorum & Seruitarum & Angelicarum nomen, resque ipsa communis est Christianis vel omnibus, vel certè optimis; num igitur insolentiæ idcirco, temeritatis, arrogantia arguendi sunt homines sanctissimi, qui instincti diuinitus, Pontificis Summi si non iussu fortassis aut consilio, auctoritate certè atque approbatione, quod publici iuris fuit, peculiaris cuiusdam officij præcipuique obsequij professione, velut accepti beneficij susceptæque vltro obligationis memoriâ, ad se transtulerunt? Vocentur sanè Societates IESV quotquot orbe toto cætes existunt bonorum; non inficiamur, neque inuidemus. Excitentur etiam huius nominis recordatione ad instituendam vitam Saluatoris quàm simillimam; gratulabimur profectò, atque etiam laudabimus. nemo sit qui præclarissima heroicarum eius virtutum exempla non ad se quoque pertinere existimet; optimè me hercule ac diuinè. Utinam quidem omnes ita sentiant, planeque id sibi non persuadeant modò, sed etiam agant atque efficiant! At si & Dei voluntate, & Apostolicæ Sedis gratiâ, Ignatius sibi suisque præcipuam quamdam ex hac notione imponendam esse necessitatem iudicauit hoc propius militiam IESV virtutesque eius in omni vitâ sequendi, quò cum nomine ipso, quod gerimus, connexa indissolubilius atque coniuncta perpetuam quamdam animis obiciunt speciem memoriæque muneris nostri sempiternam; quid, amabo, excogitauit arro-

probat
Pontifex:

Act. 19.

ganter? quid insolenter, superbè, contumaciter inuenit? quid à Religio-
 sâ summisione alienum? imò, quid non cum ratione, consilio, pru-
 dentiâ, pietatis perfectionisq̃ studio coniunctissimum vsurpauit?
 Societatis IESV vocabulo nuncupamur: magna, excellens, & supra
 meritum omne appellatio. fatemur equidem ingenuè. At, per Deum
 immortalẽ, quid hoc tandem aliud est quàm Imperatoris IESV so-
 cios, contubernales, commilitones esse nos oportere? quid nisi ad labo-
 res ærumnasq̃ue generosè perpetiendas, ad fortiter aduersa omnia supe-
 randa, ad crucem animosè IESV duce atque auspice ferendam vocari?
 quid nisi sub imperiis IESV pro salute proximorum stipendia facere?
 sub signis IESV contra vitiorum ac inferorum phalanges militare? sub
 IESV auspiciis sanguinem vitamq̃ue diuinæ gloriæ deuouere? Quis
 sub hoc Duce timidus aut ignauus audeat comparere? Etenim si, uti
 in ceteris ferè rebus omnibus, ita in bello nihil æquè milites excitare
 solet ad res præclarè fortiterq̃ue gerendas, ac claritas Ducis, exempli-
 q̃ue propositi cum spe laudis & præmij amplitudo; quo animi robore,
 quâ constantiâ, quâ magnitudine præditos esse conuenit, qui Duce glo-
 riamur omnium, quotquot anteaetis retrò sæculis exstiterunt, aut fu-
 turis porrò exstituri sunt, prudentissimo, fortissimo, præstantissimo?
 cuius in re militari maior laus esse potest atque dignitas? cuius in bello
 contra tartareos hostes suscipiendo par sapientia atque consilium?
 cuius in administrando præstantior virtus ac fortitudo? quis præliis ex-
 ercitatior? victoriis clarior? triumphis celebrior? Non adolescentiam
 ille suam aut iuuentutem, quod de Alexandro & Pompeio litteræ pro-
 diderunt; non virilis ætatis robur, ut plerique felicissimi Imperatores;
 sed infantiam à pugnis victoriisq̃ue auspicatus est. veterrimum terri-
 mumq̃ue Orci serpentem non fabulosus in cunis Hercules adulterâ fa-
 tus, sed verior Dei soboles Virgine-matre progenitus, primo sui ortu
 nascendiq̃ue initio elisit, afflixit, protriuit. Vixdum lucem hanc mor-
 talibus communem adspexerat, cum æterni Patris imperium, olim ad
 se propheticâ voce delatum, *Velociter spolia detrahe, citò prædare*; occu-
 pandum vincendi celeritate ratus, vnâ cum nominis à se suscepti ap-
 pellatione bellum orsus est, mox exitio hostibus, nobis saluti præsidio-
 q̃ue futurum. *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahete: Festina prædari.*
Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur
fortitudo Damasci, & spolia Samarie, coram rege Assyriorum. Obluctaba-
 tur vaferrimus callidissimusq̃ue draco consuetis fallendi artibus: oppo-
 suit fallaciæ præstigiisq̃ue eius diuinæ sapientiæ consilium, cui pro-
 prium ac solenne est *apprehendere sapientes in astutiâ eorum.* Contendebat
 robore ac potestate, qui sibi factus videbatur *ut neminem timeret*: in-
 fregit in ipsâ carnis nostræ imbecillitate vires illius, & *detraxit fortem*
in fortitudine suâ tenellus infans: cuius *si fortitudo quæritur, robustissimus*
est. Exultabat manubiis, spoliis, tropæis cum plurimis, tum nobilissimis,
 tantò ad interitum generis nostri ferocior, quantò successu ipso bello-
 rum euentuq̃ue elatior; *exiuit obuiam vincens ut vinceret*: stitit au-
 daciam furentis, superbiamq̃ue vitæ deuotione compressit, omni Codro
 Deciiq̃ue gloriosior. Insolecebat triumphis, nec iam annis aut lustris
 prædo

truetur fi-
nis;

qui est for-
titer cer-
tare

sub IESV

Duce for-
tissimo:

qui na-
scens vi-
cit

demonem;

Ita. 8. r.

Ibidem 3.

Iob 5. 13.

Iob 41. 24.

Iob 24. 22.

Iob 9. 19.

Apoc. 6. 2.

moriens

prædo laureatus, sed diebus, imò horis singulis pompas suas palmaris
 latro numerabat: momento compescuit iactantiam, & exspolians prin- Colof. 2. 15.
 cipatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semet-
 ipso. Quid, quòd cum morte ipsâ inferisque, quæ duo à nemine viola- mortem &
 ri vnquam, nedum vinci potuere, congressus, vtraque felicissimè ex- infernum.
 pugnavit, expugnata diripuit, direpta in ordinem potestatemque suam,
 maximâ hominum latitiâ, Angelorum gratulatione, dæmonum lucâ,
 terrore, admiratione, redegit? *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* Osce 13. 14.
 Incredibilia quidem ista sunt nostris sensibus, supraque naturam; exci-
 tant tamen nescio quo modo in nobis commemoratione ipsâ prouo-
 cantque non tantùm diuinorum eius operum, quæ imitari non possu-
 mus, admirationem ac venerationem, verùm etiam virtutum illius,
 quas assequi vtrumque nitendo fas est, desiderium atque æmulationem.
 Etenim si æstimatio auctoritasque Ducis militum animos incitare so- Hic nobis
 let ad salutem suam in discrimen pro vitâ atque incolumitate illius of- sequendus.
 ferendam; si consilium atque in rebus difficillimis sapientia, si vsus pe-
 ritiaque rei militaris, si animi magnitudo, si præliorum fortiter felici-
 terque gestorum gloria, si triumphorum numerus ac splendor legio-
 nes ipsas excitare solent ad quæuis pericula pro tuendâ communi sa-
 lute, priuatâque Imperatoris vitâ ac libertate, contemnenda; quis no-
 strum tam officij nominisque sui immemor erit, qui tanti Ducis tam-
 que augusti, in quo hæc omnia summa nacti sumus, non dico igno-
 miniose signa deserere, sed degeneris animi turpitudine gloriam audeat
 inquinare? quis, nisi Duci suo perduellis, non animum colliget? non si IESV
 vires acuet? non vim omnem potentiamque explicabit, ad præclarissi- miles di-
 ma eius vestigia *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam fa-* cimur.
mam, per cruciatus, vulnera mortemque ipsam acerbissimam conse- 2. Cor. 6. 8.
 ctanda? Pudeat profectò nominis, quem imitationis piget: neque enim
 socium militemve IESV fas est appellari eum, qui sub Imperatore tam
 forti tamque magnanimo putauerit ignauo sibi atque otioso esse licere.
 Veniat in mentem, oro, vox illa Ducis nostri inter postremas eius no-
 bilissima, quâ se non vnus dumtaxat submissionis, sed omnium pul- id enim
 cherrimarum virtutum exemplum militibus suis, ad excitandam in eo- voluit,
 rum animis æmulationem, proposuit: *Exemplum dedi vobis, vt, quem-* Ioan. 13. 15.
admodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Condere testamentum ani-
 mus erat postridie morituro. quas tabulas scriberet? quid quibus he-
 reditatis distribueret? quid omnium præterquam paupertatis indigus
 legaret? Annæum Senecam ruptis mox venis interiturum, cum prohibi-
 bitus à tyranno esset tabulas instituere, conuersum ad amicos, quibus-
 cum iucundè vixerat, dixisse ferunt, quando per Cæsaris imperium
 aliud iam agi nec liceret, neque quod legaret suppeteret, imaginem se
 iis vitæ suæ, quam nullus ingrati discipuli furor & crudelitas ereptura
 essent, hereditatis loco relinquere. Non fuit hæc profectò, si rectè di-
 ctum expendimus, nisi inanis quædam Philosophi illius ostentatio, ar-
 rogantia quàm virtutis, quâ se præditum videri optabat, similior. Ve- imaginem
 rior omnino germaniorque honestatis species illa, quam sanctiore iure vite sua
 ad nos deuolutam, vltimâ Ducis nostri institutione velut hereditarium legatis
 quod-

quoddam pignus à CHRISTO accepimus, imaginem nempe virtutum eius, memoriamque vitæ sempiternam. Hæc intuenda nobis atque amplectenda semper; hæc tamquam militare symbolum circumferenda est; hæc ad iniuriarum perpersionem, mansuetudinem, benignitatem, reliquarumque virtutum exercitationem exstimulandi sumus; hæc ad tuendam Veritatis Fideique Catholicæ propagandæ studium excitandi; hæc ad exemplum militiæ eius æmulationemque accendendi; hæc ad implacabile cum vitis odium, perpetuumque cum hostibus diuinæ gloriæ bellum suscipiendum inflammandi. Hæc nimirum illa est, quam Gentium Apostolus & in seipso expressit, & imitandam omnibus qui IESV castra sequuntur, commendauit. Deum immortalem! quot ille quibusve sententiis id agit, vt Imperatori nostro quàm simillimi efficiamur? nunc Corinthiis inculcat semel iterumve: *Imitatores mei estote, sicut & ego CHRISTI.* modò Galatis sensu affectuque charitatis tenerrimo: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur CHRISTVS in vobis.* tum Ephesiis: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Iam verò illud ad Romanos quo pondere & efficientiâ diuinæ rationis: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui?* quàm elegante appositaque similitudine: *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum IESVM CHRISTVM?* Nam quid hoc tandem aliud est CHRISTVM indui, quàm virtute, moribus vitæque eius exemplo ita penitus circumuestiri ac tegi, vt non iam animo spirituque nostro vegetari ac viuere, sed mente ac ratione quâdam sublimiore, ad exprimendam immortalem diuinitatis in mortali corpore similitudinem videamur. An non, vt Chrysostomus olim dixit, *homo indutus id esse videtur, quod indutus est?* Stola muliebri virum induc, feminam putes; hanc virili togâ si vestiueris, marem arbitrare: rusticum in purpurâ, regem; hunc in lacernâ, rusticum interpretabimur. quo quis cultu atque amictu inceserit, hoc vel esse vel videri velle profitebitur. Mundi oblectamenta si quidem mente induimus, quid nisi mundus? si carnis illecebras turpesque voluptates, quid nisi caro? si speciem virtutis & honestatis, quid nisi virtus honestasque? si denique CHRISTI Imperatoris nostri mores ac vitam, quid nisi CHRISTVS ipse quâdam viuendi similitudine efficiemur? An fortè iniuriâ temereque Paulus, postquam CHRISTVM induerat, gloriatus est? CHRISTO *confessus sum cruci: viuo autem, iam non ego, viuit verò in me CHRISTVS.* Magnum profectò quid à nobis, atque admiratione dignum, exigit ista comparatio: quam quidem si eodem sensu atque animo perciperemus, quo percepisse aliàs magnum illud Africæ lumen Augustinum accepimus; quanta, Superi! mox in omni vitæ genere mutatio? quanta conuersio animorum? quanta morum emendatio per vniuersam Remp. Christianam? quantum in nobis ipsis perfectionis sanctitatisque studium existeret? Oblatum fortuito sacrarum Litterarum volumen cum ignotæ vocis admonitu explicuisset, primoque obtutu Apostoli CHRISTVM indui cohortantis verba legisset, *Nec ultra, inquit, volui legere, nec opus erat.* Quid enim? an quia libitum hæctenus fuit improbo certamine

quam expressit Apostolus;

1. Cor. 4. 16.
& 11. 1.

Gal. 4. 19.

Ephes. 5. 1.

Rom. 8. 29.

Rom. 13. 13.

Hom. 25.
in Epist.
D. Pauli.

Gal. 2. 19.
10.

emulatus est S. Augustinus;

Lib. 8. Conf.
cap. vii.

tamine cum Deo Opt. Max. contra rationem per summum scelus dimicare, licebit etiam in posterum? Iuuit haec studia vulgi mouere & retinere, odiis iniustaque contentione efferuescere, genio in popinis indulgere, diffuere deliciis, mimos saltationesque impudicas spectare in theatris, pernoctare in fornicibus, pergræcari in lustris; corpus libidinibus, animum sceleribus, terram flagitiis contaminare; num & placere eadem posthac poterunt? Video Imperatorem meum IESVM indutum ignominiam & contemptu; numquid honores aureque popularis ventos captabo? cerno sanctimoniam modestiamque velo circumdatum; numquid proculcata pudicitiam vitæ turpitudinem adamabo? animaduerto pacis togam, charitatis purpuram, paupertatis pallio, toto denique virtutum pulcherrimarum & præstantissimarum amictu vestitum & condecoratum; numquid odia, discordias, inimicitias, furorem, amentiam, auaritiam, scelus omne flagitiumque tam exemplis eius contraria, tam aduersantia moribus, tam gloriæ nomini que iniuria, tam consiliis rationique infesta, tam salutis nostræ perniciose confectabor? Ducem sobrium, vigilantem, laboriosum, miles otio, somno, vino deditus sepultusque comitabor? Apage hanc à militiam CHRISTI IESV ignominiam: procul illa macula, pestis ac perniciis, iisdem armis, iisdem belli insignibus, eodem quo Dux meus militiam cultu præeuntem sequar ad certamen, contendam ad victoriam, ad triumphum adspirabo. Vellem equidem, Auditores, hæreret animis, atque etiam mentibus infixis nostris federet, ista tam illustris tamque diuina cum Pauli CHRISTVM indui iubentis comparatio, tum Augustini eundem induere satagentis commentatio: quamquam hoc ambigendi quis locus reliquus esse potest apud eos dicenti, quibus cum propensione sua, tum legibus institutoque maiorum, vita omnis in diuino amore, qui semper parens atque auctor similitudinis existit, consumenda est? Insuper enim atque insculpta etiam permanebit non ad memoriam tantum præteriti temporis, sed ad exemplum posteritatis sempiternum. Cum enim experientiam vsuque ipso constet, tum demum milites virorum fortium in acie officio fungi, cum ad corporum in periculis societatem animorum quoque cum Imperatore consensus accesserit; quid tam utile, tam necessarium, tam gloriosum rebus Ordini que nostro vniuerso? quid ad excitandum in nobis æmulandi studium efficacius fingi animo potest, quam IESV amor atque dilectio? Dubitanti olim de affectu Sulamitidis suæ, visum fuit testandæ veritati vnicum hoc signum requirere, vitæ imitationem. *Pone me*, inquit Sponsus, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Agedum fidem tuam, Sponsa, tuum, inquam, erga me affectum atque amorem. quâ ratione me abs te diligere testaberis? quibus docebis argumentis? quibus exemplis comprobabis? Actionum mearum cum tuis, Sponsæ mi, similitudine; quantum te diligo, tantum scilicet effingam atque imitabor. Bellè hercule: nam illa quidem morum meorum effigies, vitæque species, ita vultui animoque tuo imprimenda est, vt cerni foris inter nosci que ab omnibus manifestò possit. Igitur *imprimere mihi, o sponsa,*

R

quasi

*nos imitari
debemus.*

*Secundò
propter
amorem
illi debi-
tum.*

*qui imi-
tando pro-
batur:
Cant. 8. 6.*

Guilielmus
Paruus apud
Delinium in
Cant.

quasi signaculo, per amorem mihi fortiter adhaerendo, ut à me quasi signaculo formam accipias, & meam subtili expressione similitudinem trahas. Quanta fuerit impressio amoris, tanta erit & expressio similitudinis; quanto mihi fortius per amorem inhaeris, tanto mihi per iustitiam & puritatem similior eris; quanto te mihi impresseris fortius, tanto ego CHRISTVS in te formabor expressius. Nimirum inuicem respondent, paribusque vel minuuntur detrimentis, vel incrementis augentur, ut annuli impressa, signique expressa in cerâ effigies, ita CHRISTI amor atque imitatio: si remiserit ille, hanc quoque debilitari ac languescere; si vires ceperit, istum corroborari atque confirmari pariter necesse est. Et sanè si magnitudinem diuini erga nos amoris, naturæ nostræ, cui copulatus est, societate metimur, quâ in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus ut homo; quo officij genere, quâ voluntatis significatione certius manifestiusque dilectionem testificabimur, quàm mutuâ vicissim & accuratâ lineamentorum vitæ eius morumque in animis nostris expressâ imagine? Iam verò, si & plerique mortalium, vel naturæ instinctu, vel certâ ratione atque consilio, vel etiam turpi quadam minimeque honestâ leuis animi assentatione, vtrumque hoc amandi & imitandi studium tantâ inter se cohesione colligasse intelleximus, ut corporum etiam deformitates vitiaque animorum (ne quâ parte amoribus suis dissimiles essent) imitanda duxerint; quâ nos alacritate & contentione ferri par est ad absolutissimum numeris omnibus Imperatoris nostri exemplar imitandum? Alexandri Proceres stipatoresque inflexam eius in humeros ceruicem expressere: putida illa quidem, at tamen ex affectu erga Regem suum, quem ea inclinatio deformabat, suscepta æmulatio. Persarum Satrapæ aquilinum olim nasum exoptarunt; eoque, si cui obtigisset, velut magno quodam Deorum immortalium beneficio sibi gratulari soliti sunt, etsi ridiculo vöto & gratulatione, certissimo tamen amoris erga Cyrum Principem suum, qui eodem notatus erat, argumento. Quid, quod Aristotelis gibbum æmulatores discipuli, incuruatione dorfi, ut poterant, expresserunt? quod Hercules, Sardanapalus, aliique complures mulierum amoribus impliciti, ut quàm proximè ad illarum sexum accederent, muliebrem omnem mundum cultumque vsque ad stolam, theistrum, acum & colum ad lanificium assumpserunt? quod Ægyptij lippitudinem, claudicationem, totius corporis hutationem atque inconstantiam (quibus quid esse potest in hominum corporibus ineptius?) Regum quos deperibant exemplo imitati sunt? Sed, ut ridicula sunt ista, ita illud profecto vel ob summum animi candorem cum laude coniunctum, quod Annales Minorum de Ioanne quodam columbinæ simplicitatis viro memoriæ prodiderunt: quod Francisci parentis sui sanctissimi, quem tenerrimo amore complexus erat, non tantum actiones omnes gestusque, sed inflexiones etiam ac nutus oculorum in pretio haberet, cum sedente confidere, cum stante consistere, cum deambulante progredi, cum iacente decumbere, cum dormiente quiescere, cum orante supplicare, cum laborante defatigari; quin & cum tussiente, sternutante, spuente, easdem exonerantis se naturæ siue conuulsiones siue destillationes, quàm proximè posset exprimere consueuisse. Tanti semper amasse

Phil. 2. 7.

ut liquet
exemplis;

Chron. Min.
l. 1. cap. 29.

amasse fuit, vt quæ ames imitere, & ex alterutro præsentia alterum etiam existisse certò affirmari conuincique possit. Nos igitur, quibus peculiari quodam Religionis Nominisq̃ auctoramento, quo insigniti sumus, maior quædam, quàm quæ inesse vulgo solet, incumbit necessitas IESVM Ducem nostrum amandi, vitæque & moribus exprimendi; quo studio ac contentione, quod in omni eius vitâ præstantissimum est, imitabimur? quibus animis laborum omnium periculorumque societatem expetemus? quâ fide atque integritate per omnes humanæ vitæ varietates, per secunda atque aduersa, *per arma iustitiæ*, vt 2. Cor. 6. 7. ait Apostolus, à *dextris* & à *sinistris*, præcuntem sequemur? quâ fortitudine ac constantiâ salutem nostram pro gloriâ eius atque animarum incolumitate asserendâ in discrimen offeremus? vllâne corporum incommoda retardabunt? animorum tædia fatigabunt? inuidorum labefactabunt calumniæ? hostium minæ commouebunt? labores proferrent? pericula profligabunt? Recordamini, obsecro, præclaram illam omniq̃ sæculorum memoriâ dignissimam sanctissimi Antistitis Malachiæ sententiam: quem cum intentum operi, periculoso quidem, sed ad promouendam Dei gloriâ mirè accommodato, mortis infamiæque proposito metu deterrere sui à suscepto munere niterentur; *Sinite, fratres*, inquit, *sinite me imitari Magistrum meum: sine causâ sum Christianus, si CHRISTVM non sequor*. Dicam hoc, Auditores, quantâ possum vocis laterumque contentione, vt ab omnibus exaudiat: *Sine causâ Iesuite sumus, si IESVM non sequimur*. Meritò desertæ militiæ virtutisque arguimur, si tanti nominis professioni non respondemus, si huic Duci facta consiliaque nostra non probamus. Subeunda se offert pro IESV nomine ignominia: contumeliæ, calumniæ, maledicta longo examine proponuntur: inimicitia, labores, pericula cingunt vndique & circumuallant: versantur ob oculos carceres, compedes, supplicia, mors ipsa, cum acerbissimâ immanitate dirissimisq̃ cruciatibus coniuncta. Expertis loquor: quotidianæ sunt istæ nobis pro diuinâ gloriâ suscipiendæ dimicationes, assidua pro animarum salute cum infidelium scelere atque atrocitate certamina amplectenda. Quid agimus, commilitones? an referemus à conflictu pedem? an terga vertemus? an arma proiciemus ignaui? an cedemus difficultatibus? vincemur tædiis? succumbemus iniuriis? fidem socij, signa auctorati, milites Ducem deseremus? *Sinite nos, sinite*, inquam, *Imperatorem nostrum imitari: sine causâ Iesuite sumus, si IESVM non sequimur*. Quæ verò vel timiditatis in hoc genere excusatio, vel socordia; desidiae defensio nobis relicta est, si à præceptis institutisque maiorum degeneres, tam excelso præclaroque Duci nostro, Nominique eius, turpitudinem aliquam inuramus? cum præsertim in hoc, teste Apostolorum Principe, *vocati sumus, quia CHRISTVS passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius*? Quid tandem existimabimus? dissimilem nobis ab ipsius vestigiis semitam, diuersamque vitæ conditionem obuennisse? vt ille in sole, nos in vmbra; ille in puluere, nos in otio; ille in rebus asperis, nos in oblectamentis vitam transigamus? Nolite, per Deum immortalem, cogitationes vestras ad tantam indignitatem abiicere: aliâ prorsus lege

& nobis à
fortiore
incumbit,

S. Bernar. in
Vitâ S. Ma-
lachia.

qui Iesuita
dicimur:

ad hoc vo-
cati, vt
IESVM
sequamur.
1. Pet. 2. 21.

auctorati, alio sacramento obstricti, aliis præceptis imbuti atque instituti sumus: per aduersa, per incommoda, per aspera, per molesta sensibus, per naturæ nostræ contraria studia, per vestigia denique (vt cuncta verbo complectar) CHRISTI IESV Ducis nostri incedendum nobis est. At difficiles istæ viæ sunt, duræque imperia. Quidquàmne igitur amantibus potest esse difficile? quidquàmne durum militibus, quod exemplo prius perfecit Imperator, quàm verbo iusserit? Wenceslaum Bohemiæ Regem, illustri sanctitatis famâ conspicuum, monumenta testantur, cum pro more intempestâ nocte perfrigidâque hieme colendi Numinis causâ templa obiret, è Proceribus Podininum quempiam supplicationis comitem adsciuisse: præibat ipse per saxa gelu horrida, per humum niuibus brumâque obsitam, per cæli inclementiam ventis ac frigoribus infestam, capite pedibusque nudis, vix tenui præcinctus tunicâ, lacernâque coopertus; hic verò Scythicis pellibus totoque regmine Sarmatarum aduersus frigora munitus. producuntur preces, extrahitur ambitus atque supplicatio; algere sensim, tum tremere, mox rigere, demum manus pedesque ad ciendum calorem supplodere Podininus. Id verò cum è strepitu percepisset Wenceslaus, moræ frigorisque impatientem blandè compellare, cohortarique vt perseueraret. Ille contrâ, neque precari se diutius, neque pedibus insistere, nedum inambulare posse. Igitur vt animum viresque subiiceret deficienti, Quæ à præeunte me, inquit Rex, imprimuntur vestigia, tu identidem preme atque insiste Podinine, & sine dubio perstabis. quod cum ille non segniter præstitisset, suoque pede præcedentis vestigia tereret, confestim frigus abscedere, remittere tremor, corpus vniuersum non incalescere solum, sed inflammari cœpit; vt non iam tardo difficilique incessu Regem ponè sequi, sed expedito atque incitato gressu præuerrere se posse confideret. Itane verò? hos animos roburque Podinino dedere Wenceslai vestigia, vt itinere frigidissimo caleret? hunc vigorem membrîs, has animo faces subiecere, vt Regem non tam æquis passibus subsequi quàm anteuerrere videretur? Nos autem quo tandem animo erimus, quibus tantò celsiora sanctioraque proposita sunt IESV Ducis nostri sectanda vestigia? num ad ingentes illos diuinæ charitatis ignes, quibus succensa sunt atque inflammata, torpentes ac stupentes obrigebimus? num segnes, ignaui, queribundi, difficultates itinerum perhorrescemus? num si qua tempora periculosa inciderint, si laboriosa se obtulerint certamina, si cum frigore, inediâ, aliisque humanæ vitæ miseriis & calamitatibus, si cum animi nostri cupiditatibus ac perturbationibus, si cum ceteris depugnandum fuerit, num, inquam, imperia Ducis aspernabimur? pauidi consistemus? aut in fugam latebrasque nos coniciemus? ante tubas victi? ante aciem fusi? ante prælium dimicationemque prostrati? Quæ, malum! hæc inertia socordiaque? quod dedecus? quod probrum? quæ labe? quis hoc æquis oculis aspicere, quis ferre patienti ac remisso animo queat à IESV Sociis? in castris IESV? sub Duce signisque IESV? Quapropter vt extremum aliquid reperiat oratio, vos etiam atque etiam obtestor, Auditores, per religionem vitæque sanctimoniam, ad quam olim singulari Dei beneficio vocati, per sacram mili-

Dubratius
 in Hist. Bo-
 hemiæ.

militiam cui adscripti, per sacramenti fidem, quâ obstricti Deoque deuoti sumus, vt Imperatorem ac Ducem vestrum, in quamcumque partem signa conuerterit, erecto excelsoque animo sequamini. Nulla conterreat aduersariorum vis atque potestas, nullæ frangant inuidorum criminationes, nulla deiciant vitæ incommoda, nulla mortis pericula cruciatuque disturbent. Nolite, obsecro, maiorum vestrorum laudes tanto labore & virtute partas otio ignauiaque vestra obtere; nolite tot illustrium animarum, quas Deo procreatori suo asseruerunt, fructum atque tropæa inertiâ vestra prodigere: nolite tot tamque illustres victorias, vbiuis gentium tam copioso sudore sanguineque empras, degeneris animi probro contaminare. Excitare profectò vos debet atque incendere tum Ignatij Ducis vestri summa virtus atque religio, tum primorum Patrum, in promouendâ diuinâ gloriâ studium atque contentio. Quot illi labores, quot incommoda, quot pericula, pro Deo animarumque salute susceperunt, exhausserunt, exanclarunt? quàm forti minimeque perturbato animo Ducem IESVM secuti, omnem eius vitæ rationem exercitationemque virtutum imitati sunt? quàm veram germanamque Sociorum IESV effigiem in se ipsis expressam nobis reliquerunt? Horum vestigiis insistendum omnino vobis est, Auditores: horum exemplo ad procurandam animorum salutem nitendum: horum imitatione sequendus effingendusque per omnem vitam Dux noster & Imperator IESVS. Id à vobis iure suo postular fides vestra quam altrinxistis, id militia cui nomen dedistis, id sacramentum quo spondidistis non defuturos vos Christianæ Reipublicæ, id Ordinis Nominisque vestri præclara & ad inuidiam excellens compellatio, id Dux vester cui meretis, quem colitis, quem amatis; id Deus ter Optimus Maximus, *per quem vocati estis in Societatem Filij eius IESV CHRISTI Domini nostri.* 1. Cor. 1. 9.

ORATIO QVINTA.

De patrocinio D. Virginis, & felicitate Societatis, quòd sub eius singulari sit tutelâ.

DVos esse, quos inter cælorum terrarumque imperium dominatu licet impare, diuisum est, qui illâ tum bonitatis amplitudine polleant, tum potestatis excellent magnitudine, vt nihil eis desit, nec facultatis vt possint, nec bonitatis vt velint, homines omnes diuinis opibus cumulare, Dei videlicet Filium & Matrem; non tantum diuina oracula proclamant; verum etiam exquisita illa, quibus totum genus humanum complexi sunt beneficia, omni pænè sæculorum memoriâ, vbi que terrarum promulgarunt. Quapropter si quis hos duos, quorum nutu publica generis humani salus nititur, possit obsequiis adeo sibi demereri, vt alterum habeat in bonis comparandis fautorem, alteram in malis propulsandis adiutricem; enimuerò tot eum tantisque præsidij muniri necesse est, vt nihil sperare possit, vel ad animi tranquillitatem præsentius, vel ad felicitatem optabilius, vel denique ad

IESVS &
MARIA
certissima
salutis
presidia.